

DE APOSTATIS.

1.7.1

Imp. Constantius A. ad Thalassium pp.

Si quis lege venerabili constitutus ex Christiano Iudaeus effectus sacrilegis coetibus adgregetur, cum accusatio fuerit comprobata, facultates eiusdem dominio fisci iubemus vindicari.

D. V non. Iul. Mediolano Constantio A. VIII et Iuliano C. II eonss. [a. 357]

1.7.2

Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA- ad Hypatium pp.

Si quis defunctum violatae atque desertae Christianae religionis accusat eumque in sacrilegia templorum vel in ritus Iudaicos transisse contendit eaque gratia testari minime potuisse confirmat, intra quinquennium iuge, quod inofficiosus actionibus constitutum est, proprias exserat actiones futurius iudicii huiusmodi sortiatur exordium.

D. XV k. Iun. Patavi Merobaude II et Saturnino cons. [a. 383]

1.7.3

Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Flaviano pp.

Ii, qui sanctam fidem prodiderint et sanctum baptismum haeretica superstitione profanaverint, a consortio omnium segregati sint, a testimoniis alieni, testamenti, ut ante iam sanximus, non habeant factionem, nulli in hereditate succedant, a nemine scribantur heredes. Quos etiam praecepissemus procul abici ac longius amandari, nisi poenae visum fuisset esse maioris versari inter homines et hominum carere suffragiis. Sed nec umquam in statum pristinum revertentur, non flagitium morum oblitterabitur paenitentia neque umbra aliqua exquisitae defensionis aut muniminis obducetur, quoniam quidem eos, qui fidem quam deo dicaverant polluerunt et prodentes divinum mysterium in profana migraverunt, tueri ea quae sunt commenticia et concinnata non possunt. Lapsis etenim et errantibus subvenitur, perditis vero, hoc est sanctum baptismum profanantibus, nullo remedio paenitentiae, quae solet aliis criminibus adesse, succurritur.

D. V id. Mai. Concordiae Tatiano et Symmacho cons. [a. 391]